



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXIC. Ioannis Papae VIII. Ad Basilivm, Constantivm, Et Alexandrvm Imperatores. Imperatorum precibus commotus, vt pax sit ecclesiae Constantinopolitanae, dispensat cum Photio, vt in Ignatii ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CXCIX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BASILIVM, CONSTANTINVM,  
ET ALEXANDRVM IMPERATORES.

Imperatorum precibus commotus, vt pax sit ecclesiæ Constantinopolitanæ, dispensat cum Photio, vt in Ignatii locum Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcha subrogetur, statuens ne deinceps quisquam ad patriarchalem dignitatem, nisi per gradus ecclesiasticos ascendat. iubet patriarcham Constantinopolitanum Bulgarorum diocesin sub ecclesiæ Romanæ iurisdictione relinquere. monet omnes vt patriarchæ debitum præstent obsequium. præcipit vt ad ecclesiæ communionem eos, qui a Methodio, & Ignatio initiati fuerant, admittant. excommunicat illos, qui cum Photio noluerint communicare.

*Dilectissimis ac excellentissimis spiritalibus filiis nostris Basilio,  
Constantino, & Alexandro, gloriosissimis  
imperatoribus semper Augustis.*

**I**NTER claras sapientiæ & mansuetudinis vestræ laudes, o Christianissimi principes, aliquod cum puriore luce summæ deuotionis longe lateque resplendet, quod amore fidei, quod caritatis studio, disciplinis ecclesiasticis edocti, Romanæ sedi reuerentiam more prædecessorum vestrorum piissimorum imperatorum conseruatis, & eius cuncta subiicitis † auctoritati: ad cuius auctorem, hoc est apostolorum omnium principem, Domino loquente, præceptum est: *Pasce oues meas.* Quam esse vere omnium ecclesiarum Dei caput, & beatorum patrum præcipuæ regulæ, & orthodoxorum principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerendissimi apices attestantur. Nihil est enim, quod lumine clariore præfulgeat, quam pia deuotio, & recta fides in principe. Et quia pontificii nostri reuerentiam hoc ardore mentis, hoc religionis studio luculenter vestris mellifluis literis exornatis: id nos ratione, seu temporis necessitate inspecta, cum sedis apostolicæ nobis commissæ consensu & voluntate perficere iure apostolico decet.

Hæc epistola a Photio est corrupta, locis infra designatis.

† Ista de auctoritate Romanæ ecclesiæ Photius in sua translatione non posuit. Ioan. 21.

Igitur petistis a nobis, quatenus sede apostolica suæ pandente viscera pietatis, Photium reuerendissimum in patriarchatus honore, in summi sacerdotii dignitate & in ecclesiastici collegii societate reciperemus, nostræq; communionis participem faceremus, ne ecclesiam Dei tanto iam tempore perturbatam pateremur amplius manere diuisam, scandaloque commotam. Nos itaque serenitatis vestræ preces congrua ratione admittentes, quia † Ignatium piæ memoriæ patriarcham de præsentī vita iam migrasse cognoscimus: temporis ratione perspecta, hoc modo decernimus ad veniam pertinere, quod nuper de ipso Photio licet ipse absque consultu sedis nostræ officium sibi interdictum † usurpauerit, gestum constat fuisse.

† Nomen Ignatii sustulit Photius, alia at-  
textens.

† Mutauit hæc in contrarium sensum Photius, ut vim passum se recepisse hanc sedem ab imperatoribus dicit. Gelasius epistola 6.

Necessitatis tempore locum habet dispensatio.

Epistola 27.

Photius restituitur.

Nos statutis apostolicis non præiudicantes, nec beatorum patrum regulas resoluentes, quin potius earum auctoritatibus freti, qui Nicæni Concilii capitulo secundo aperitissime dicunt: Quoniam plura ante per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus aduersus ecclesiasticam facta sunt regulam. Hinc & Gelasius papa dicit, quod ubi nulla perurget necessitas, constituta patrum inuiolata seruentur. Et sanctus Leo eodem spiritu præcipit, omittendum esse, & inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit. Inde & Felix præsul, decessor noster in sua decretali epistola voce consona dicit, aliter tractandam esse necessitatis rationem, & aliter voluntatis. Inde etiam sanctum Concilium apud Africam gestum capitulo trigesimo quinto iubet, ut clerici Donatistarum in ecclesia, propter ecclesiæ pacem & utilitatem, si correcto consilio ad catholicam unitatem transire voluerint, si hoc paci Christianæ prodesset visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, non ut Concilium quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissoluatur, in quo videlicet Concilio statutum est, ut ordinati in parte Donati, si ad catholicam partem transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis. De hoc etiam beatus papa Innocentius dicit capitulo quinquagesimo quinto, quod ii qui a Bonoso hæretico ordinati sunt, propterea sint recepti, ne scandalum remaneret ecclesiæ.

Nunc itaque aliis patriarchis, Alexandrino videlicet & Antiocheno & Ierosolymitano, atque omnibus archiepiscopis, metropolitibus, episcopis & sacerdotibus, cunctoque

Et quoque clero Constantinopolitanæ sedis, qui de ordinatione B. Methodii & Ignatii reuerendissimorum patriarcharum existunt, vna voluntate, parique voto consentientibus, eundem † Photium satisfaciendo, misericordiam coram Synodo secundum consuetudinem postulantem, in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comministrum, [atque coram Synodo misericordiam quærendo,] in pastoralis magisterio confacerdotem, pro ecclesiæ Dei pace & utilitate, amodo, Christo fauente, recipimus & habemus.

Quia & vos Christianissimi imperatores Augusti, qui sanctæ reipublicæ clementissimo affectu gubernatis imperium, pro Christo fungi legatione videmini, dum pro pace rogatis ecclesiæ, & nos † quibus, secundum Apostolum, omnium ecclesiarum Dei sollicitudo incumbit, controuersiam aliquam in ecclesia Dei amplius remanere nolentes: hunc ipsum patriarcham cum omnibus siue episcopis, siue presbyteris, seu ceteris clericis & omnibus laicis, in quos iudicii fuerat censura prolata, ab omni ecclesiasticæ sanctionis vinculo absoluiimus, sanctæque Constantinopolitanæ ecclesiæ iudicamus recipere sedem, dominicque gregis esse pastorem, illa scilicet potestate fulti, quam ecclesia toto orbe diffusa credit nobis in ipso apostolorum principe a Christo Deo nostro esse concessam, eodem Salvatore beato Petro apostolo præ ceteris specialiter delegante: *Tibi dabo clauis regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Sicut enim ex his verbis nihil constat exceptum, sic per apostolicæ dispensationis officium, & totum possumus procul dubio generaliter alligare, & totum consequenter absoluere, præcipue cum ex hoc magis præberi cunctis oporteat apostolicæ miserationis exemplum.

Nam & legati sedis apostolicæ ab antecessore nostro Hadriano videlicet almifico præfule Constantinopolim directi, Synodo ibidem peractæ vsque ad voluntatem sui pontificis vigilantissimo studio subscripserunt ..... nec ab apostolico manere: quia sedes beati Petri cælestis regni clauigeri potestatem habet, ligata qualibet pontificum congrua æstimatione absoluere. Quippe cum constet multos iam patriarchas, hoc est, Athanasium & Cyrillum

Concil. Tom. 24.

Ec

† Omnia ista  
deleuit  
Photius, de  
venia co-  
ram Syno-  
do petenda.

2. Cor. 5.  
2. Cor. 11.  
† Omnia  
ista a Photio  
sunt præter-  
missa vsque  
ad sequens  
caput.

Matth. 16.

Alexandrinus, Flavianum & Ioannem Constantinopolitanos, & Polychronium Ierosolymitanum synodice damnatos per apostolicæ sedis postmodum absolutionem restitutos incunctanter fuisse.

Eo tamen tenore ista statuentes, apostolica dumtaxat auctoritate & sanctorum patrum venerabilibus institutis decernimus, vt post huius patriarchæ obitum, nullus de laicis vel curialibus in patriarchatus eligatur vel consecratur honore, nisi de cardinalibus presbyteris & diaconibus Constantinopolitanæ sedis, secundum sacros Canones spiritu Dei conditos; & totius mundi reuerentia consecratos; quia nec præpropere contra Canones ecclesiasticos, decretaque maiorum cito quilibet lector, cito acolytus, cito diaconus, cito sacerdos vel episcopus fiat: qui in minoribus officiis sic diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequium comprobetur, vt per tempora a maioribus instituta, comprobatis prius moribus, & bonæ vitæ meritis refulgentibus, ad summum sacerdotium postmodum veniant. Quoniam non est subito præripiendum vel vsurpandum, quod vita diu probata meretur accipere. Nam si in quibuslibet ecclesiæ gradibus prouidenter curandum est, vt in Domini domo nihil sit inordinatum; quanto magis elaborandum est, vt in electione eius qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non sit in capite; & inde fiet, vt omnis ecclesiastica disciplina resoluatur, omnis ordo turbetur. Et ideo hoc, quod nos modo pro ecclesiastica vnitatem & pace, quam Christus Dominus noster nobis dedit habendam, vtcumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit.

Bulgari sub  
Romanam  
dioccesin re-  
uocantur.

Hoc etiam modo ista, excellentiæ vestræ precibus moti, fieri iubemus, si ipse patriarcha Bulgarorū dioccesin, quam piæ memoriæ Nicolaus præcessor noster, Michaelis ipsorum rege petente, apostolicis doctrinis docuit, & per venerabiles episcopos suos lauit vnda baptismatis, omnique ecclesiastica regula & disciplina prout oportebat instruxit; amodo suo iuri vindicare, vel remittere nullo modo præsumpserit, nec aliquam cuiuscumque honoris ibidem ordinationem fecerit .... ibidem sunt illicite ordinati episcopi

vel sacerdotes ..... archiepiscopo, vel episcopis qui ibidem videntur existere ..... sacrum pallium quo inter sacra Missarum solennia vti pontificibus solitum est, ipse patriarcha mittere præsumpserit.

Porro pro tantis perturbationibus, quibus ecclesia vestra longo iam, tempore manet turbata vestra Augustali pietati obnixè suggerimus, vt Constantinopolitanum patriarcham digno honore venerantes, quasi patrem spiritalem, & vtpote inter vos & Deum mediatorè præcipuum, diuina vobis, per quæ ad regnum perueniatis æternum, sedule annuntiantem, pio semper affectu colatis, & vt condecet in omnibus honoretis: quia pro temporali, quem illi exhibetis, honore, vos & hic temporalem honorificentiam habebitis, & in æternum multiplicem procul dubio recipietis ab illo nempe, qui glorificantes se glorificare testatur. Nec eorum verba falso prolata, qui scandalorum zizania super conspicuam segetem Domini seminare non cessant, vestra imperialis dignetur audire maiestas, nec pro talium susurrationibus hominum, qui semper student scindere vnitatem Dei, vestem Domini, ecclesiam Christi, quique linguis suis semper dolose agere non cessant, venenum aspidum portantes sub labiis suis, animum clementiæ vestræ aduersus eum aliquatenus commoueatis, & summum sacerdotem vestrum Dei prouidentia in ecclesiæ Christi regimine constitutum sic facile exhonoretis, quod nimirum sancto vestro imperio valde inhonestum & indecens esse videatur.

Præterea mandamus etiam vt omnes episcopos & sacerdotes, seu cuiuscumque ordinis clericos, qui de consecratione Ignatii bonæ memoriæ patriarchæ consistunt, siue in ipsa regia vrbe manentes, siue alicubi extra, longe seu prope retrusos, clementi animo ad gremium & vnitatem sanctæ ecclesiæ reuocetis, & vlnis extensis paterno affectu recipiatis & amplectamini, propriasque vnicuique illorum iubeatis reddere sedes: vt sicut vna est fides, vnum in nobis baptisma, & omnes vnum sumus in Christo; ita & isti qui ad vnitatem & societatem ecclesiæ Dei, & corporis Christi redierint, & id ipsum dicentes, perfectiq; existentes in eodem sensu, in eadem scientia, vnus grex efficiantur, & vnus pastor; nec audeant amplius dicere: *Ego quidem sum Cephæ*, 1. Cor. 1.

Concil. Tom. 24.

E c ij

Photii nima laus

1. Reg. 2.

Psal. 13.

Recipiendi qui ab Ignatio fuerunt ordinati.

*ego Pauli, ego autem Apollo, sed vnius Christi veri Dei nostri, qui est pax nostra & fecit vtraque vnum, veniensque caelestia cum terrenis pacificare dignatus est. Qui idcirco semel pro peccatis nostris mortuus est, vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Nec enim poterit vnitatis eorum firma esse compago, nisi eos ad inseparabilem soliditatem vinculis caritatis astrinxerit: quatenus, Deo fauente, absque omni perturbatione, vobis regnantibus salui & securi persistentes, pro salute vestra & pro statu reipublica, iugibus semper votis Dominum valeant deprecari.

Excommu-  
nicantur  
qui cum  
Photio  
communi-  
care nolūt.

Quod si forte quidam extiterint cum eodem patriarcha communicare nolentes, admoneantur secundo & tertio, vt sanctæ ecclesiæ se vnire procurent. Quod si acquiescere noluerint, in sua pertinacia manere volentes, sacra eos communionem, his præsentibus missis nostris vna cum Synodo, iussimus priuari, quousque ad suum redeant patriarcham, & ad sanctæ ecclesiæ vnitatem, cum præcipue ipsi episcopi a nobis sint canonice excommunicati. Et ideo si eos in consortium suum receperit, aliquamve cum eis communionem habuerit, simili modo eundem patriarcham cum ipsis episcopis ecclesiastica communionem iudicamus esse priuatam. Data mense Augusto, die decima sexta, indictione XII.

*Missæ per Petrum presbyterum.*

NOTÆ.

<sup>a</sup> *Epistola.*] Qua occasione hanc de Photii absolutione & restitutione epistolam pontifex scripserit, diximus supra in notis ad vitam Ioannis papæ VIII. circa annum Domini 879. Hæc in codice Vaticano charactere Longobardo exarato, atque iam haud pridem, sed mendose nonnihil cuso, scripta est.

Summa plane Dei prouidentia factum est, vt eiusmodi Ioannis octauæ papæ literæ in nostrum vsque tempus in eius regesto, siue vt dicunt vulgo, registro integræ seruentur, nec sicut aliorum plurimum pontificum epistolæ perderentur: vt ex his etiam sicut ex Nicolai & Hadriani epistolis Photius millies possit redargui imposturæ, & falsitatis conuinci. Ad vsitatam impostor artem rediit falsandi literas Romanorum pontificum, & fingere noua scripta: nam præter ea quæ plus satis de ipso dicta sunt sub Nicolao & Hadriano pontificibus, & in Synodo vniuersali sunt proclamata, nouæ rursus ab impostore prodire falsitates: vt plane acciderit de his Ioannis papæ literis, quod de suis ab eodem Photio falsatis, Nicolaus in epistola ad Michaellem imperatorem exclamat, cum ait: *Ex his*, inquit,

qua ibidem ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiuntur, & per omnia talis a vobis effecta est, vt aut nihil aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti comministri nostri Ignatii disposuisse causa videamur. Hæc tunc Nicolaus, quæ etiam nunc ab ipso Ioanne repetenda essent, si viuens videre potuisset, vt Nicolaus, quomodo suas missas Constantinopolim literas Photius addendo, minuendo, atque mutando, male, pessimeque habuisset.

Sed quorsum hæc ipse ? dices. Voluit scelestus quasi ex Ioannis papæ literis non solum suam restitutionem firmam, roboratamque monstrare; sed & falsatis illis probare etiam auctoritate eiusdem pontificis octauam Synodum œcumenicam esse damnatam; probatam vero recentem ab ipso aduersus eam Constantinopoli celebratam, octauamque pariter nominatam in abolitionem legitimæ octauæ œcumenicæ sub Hadriano pontifice celebratæ. Ex quo grande malum illud euenit, vt pro germana octaua, a Græcis maxime, accepta sit Synodus Photiana; vt factum inter alios a Zonara est videre, qui in sua Canonum collectione & interpretatione posuit loco octauæ œcumenicæ Synodum Photianam sacrilegam, quam ipsam & Theodorus Balsamo vniuersalem appellat, cuius & tres Canones recitat: sic & reliqua Græcorum schismaticorum colluies. Tu igitur, lector, hic, amabo te, sede arbiter veritatis, atque ex literis Ioannis papæ in Græcum a Photio redditis & recitatis in secunda actione suæ Pseudosynodi, reuocatis vero ad Latinitatem a Friderico Metio origine Græco, sed pietate catholico atque fide Latino, modo ob virtutum atque doctrinæ præstantiam creato Thermanum episcopo, veteratoris malas artes intellige. Extat ipsa integra Photiana Pseudosynodus Græce in scripto codice bibliothecæ Columnensis, quæ fuit Cardinalis Sirleti, nota numeri quadragessimi primi, in quo sub actione secunda eadem epistola Ioannis papæ recitatur ad imperatorem scripta, adeo mutata, vt vix quis cognoscat eandem esse Ioannis, quam nuper recitatam audisti. sic enim se habet:

*Ioannes seruus seruorum Dei, serenissimis dilectis filiis nostris spiritalibus & Deo caris Basilio, Leoni, & Alexandro victricibus imperatoribus & æternis Augustis.*

**P**VRITAS & splendor vestræ rectæ fidei, & sapientia & morum probitas & benignitas perspecta, o Christianissimi & maximi imperatores Romanorum, luminum instar in medio terræ micantes vsque ad omnes fines, ad quos vniuersus orbis, extenduntur & splendent. Non enim sola recta fide præstantes, in aliis rebus vos oscitanter habetis, sed potius super vestram irreprehensibilem fidem

Ferre totum principium a Photio immutatum: quod enim visum sit exile præconium imperatoris, voluit illud gloriosius prædicari.

E c iij



superædificatis non lignum aut herbam, aut arundinem, sed preciosos lapides, aurum & argentum, & vt breuiter dicam, omnia alacri studio perficitis, quibus cognoscitis Deo rem gratam facere. Nihil vero Deo gratius esse dignoscitur, quam vt vniuersæ eius ecclesiæ quascumque sol respicit, recta fide & mutua inter se dilectione & caritate viuentes, illi singulis diebus gratias agant. Quapropter hanc vnionem etiam in vestra Dei ecclesia conspici & vigere vos percipientes, Romanam sanctam ecclesiam per vestros legatos, & sacras literas adiutricem assumpsistis, pro certo habentes, eam vobis futuram præsto ad id quod optastis. Neque vos primi id agere cœpistis, vt hanc rem excogitaretis, sed vestigiis prædecessorum vestrorum in hærentes; in quam schola, quarere est etiam dignum: a principe videlicet apostolorum Petro, quem Dominus omnium ecclesiarum caput constituit, inquit illi: *Pasce oues meas*; nec non a sacris & orthodoxis sanctorum patrum decretis atque doctrinis, quemadmodum sacræ & piæ vestræ literæ testantur: id vero propterea facitis, quo magis vestræ fidei firmitas celebrata eluceat, & erga Deum dilectio sincera & efficax patefiat.

*Ioh. 21.*

Nihil enim aliud aptius & dignius contingere potest illis qui in maximis dignitatibus & principatibus sunt constituti, quam rectæ fidei splendore, & Dei dilectione præstare contendere; & curare vt omnes, qui cum eadem fide Deum venerantur, dilectionis etiam vinculo vniantur, & constringantur. Quapropter vestris literis obsequentes nos, & mellifluis verbis deliniti, ignis instar accensi, cum vniuersa nostra sanctissima Romanorum ecclesia, vnanimis & concordis surreximus ad ea omnia quæ a vobis scripta sunt, prompto & alacri animo peragenda. Scripsistis nobis, noster dilecte fili, vt nostra apostolica viscera misericorditer aperiremus, & omnes quotquot fuerint, qui in vestra ecclesia vel propriis chirographis, vel alio quouis pacto præuaricati sunt, & canonicis censuris obnoxii sunt effecti, reciperemus, & pacis & vnionis curam haberemus. Quin etiam ante omnia Photium religiosissimum episcopum nostræ communionis heredem & participem, & comministrum facientes, ad magnum episcopatus culmen, & dignitatem patriarchalem iterum constitueremus,

ne ecclesia Dei multo tempore schismatum Deo exosorum, & malorum scandalorum fluctibus agitata permaneat.

Nos vero vestra serenitatis preces accipientes, ut rationales & iustas & Deo acceptas, & tempus iam præsto esse, quod antea quærebamus, & inuenire, Deum precabamur; rationi etiam congruum censentes, ecclesiam Dei tranquillam reddere: misimus propterea † legatos qui vestram perficerent voluntatem. Et licet pietas vestra Photio vim inferendo nos præuenit, in illo restituendo videlicet, antequam nostri legati isthuc venissent: hæc tamen nos supplemus non auctoritate nostra, licet hoc etiam facere possimus, sed apostolicis constitutionibus & sanctorum patrum decretis horum demonstrationem afferentes, neque ecclesie regulas iamdiu traditas soluentes, sed eas in quibuscumque, dum harum nimis exacta & immutabilis obseruantia seruatur, diuellit, & destruit totam compagem corporis ecclesie, ad quod conducit trahentes, ab ipsamet ecclesia edocti. Secundus enim Canon Nicænae Synodi hæc habet: Quoniam frequenter vel a necessitate, vel alio quouis pacto coguntur homines ecclesiasticos Canones transgredi: & quæ sequuntur. Nec non papa Gelasius de seipso inquit, quod ubi vis non apponitur, sanctorum patrum statuta inconcussa maneant. Similiter etiam sanctissimus papa Leo in eodem spiritu præcipit, dicens: Ubi vis non præcedit, immobilia permaneant sanctorum patrum statuta; ubi vero necessitas & vis reperitur, ibi ad id quod conuenit ecclesiis Dei, ille qui potestatem habet dispense. Ex necessitate enim, iuxta diuinum Apostolum, etiam legis fit mutatio. Felix præterea papa consona etiam dicit: De hoc enim oportet animaduertere, ut ubi necessitas contigerit, sæpenumero etiam constitutiones patrum transgredi liceat. Sancta etiam Synodus Carthaginensis ait trigesimoquinto capite: Mandamus ut Donatistarum clerici iterum ad ecclesias reuertantur, licet etiam a Synodo fuerint damnati. Synodus etiam Synodum abrogasse reperitur propter vnionem ecclesie & concordiam. Et Innocentius papa ait: Ista Bonoso ordinati hæretico recipiantur, ne iterum scandala in ecclesia Dei oriantur.

Neque solum istis, licet tales essent, ut ex illis fuissent ut

† Addidit  
ista Pho-  
tius, & mu-  
tauit in  
contrarium  
sensum  
quæ de se-  
ipso habe-  
bantur.

hæretici damnati, apostolica tamen sedes ecclesiæ pacis curam gerens manus adiutrices porrexit; verum etiam orthodoxis episcopis & patriarchis ad ipsam confugientibus, sicut nunc religiosissimus Photius, & auxilium implorantibus opem tulit. Nostis omnino magnum Athanasium episcopum Alexandrinum & Cyrillum & Polychronium Hierosolymorum, Ioannem quem dilectio vestra Chryso-stomum appellat, Flavianum etiam Constantinopolitanum: hos enim a Synodis damnatos & reprobatos, cum ad sanctam Romanam ecclesiam confugissent, apostolica sedes hæc nostra confirmavit, & ad priorem dignitatem restituit. Si igitur ex Donatistis, & ex Bonoso ordinationem acceperunt, & ab ecclesiæ catholicæ limitibus fuerunt eiectione a Synodo numerosa, iterum ab alia Synodo recipiuntur, & in sacerdotum numero collocantur, ut ecclesia Dei indiuisa, & a schismatibus integra & libera permaneat, (nihil enim oculis Dei magis execrandum & abominabile conspicitur, quam is qui schismatum auctor in ecclesiis extiterit; & nihil iucundius vel carius etiam bonitati, quam ecclesiam suam integritatem, perfectum erga Deum amorem, & erga proximum dilectionem conferuare,) multo magis viros orthodoxa fide illustres, & vitæ grauitate & rerum peritia celebres, non oportet illos contemni, † obnoxios pœnitentiæ iugo grauari, sed ad priorem dignitatem restituere.

† Ex se hæc addidit Photius.

† Multa hic a Photio prætermittuntur, quibus sedis apostolicæ auctoritas prædicatur, & Hadriani prædecessoris legatio memoratur.

Matth. 16.  
Ierem. 1.  
† Hæc omnia addita a Photio impostore.

Cum enim † semel apostolica hæc sedes clauis accepisset regni cælorum a primo & magno pontifice Iesu Christo per principem apostolorum Petrum, cum illi dixisset: *Tibi dabo clauis regni cælorum, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis: & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis;* habet facultatem omnes ligandi atque soluendi; & iuxta prophetam Ieremiam, euellendi & plantandi. Hac de causa nos auctoritate vsi principis apostolorum Petri, cum vniuersa ecclesia † affirmamus vobis, & per vos etiam sanctissimis fratribus & ministris nostris patriarchis, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, & reliquis episcopis & sacerdotibus, & vniuersæ ecclesiæ Constantinopolitanæ, nos conuenire & consentire vobis, vel potius Deo in omnibus quæ a nobis vos petistis. Et primum quidem nos recipere

Photium

Photium admirabilissimum & religiosissimum archiepiscopum & patriarcham fratrem nostrum, & communio- nis cum sancta Romanorum ecclesia consortem & parti- cipem, & heredem, non solum propter alias virtutes qui- bus ille præstat, verum etiam propter scandala e medio tollenda, & pacem Dei, & dilectionem adinuicem inter nos firmandam. Recipite etiam ipsum vos certo & firmo animo, & caritate & fide, omne iniquitatis & malitiæ venenum, & duplicitatem & ambiguitatem de cordibus ve- stris auellentes, sicut ipsum recepit Romana ecclesia.

Didicimus † enim fere ab omnibus qui huc veniunt ex illis qui istic versantur, Photium omnibus prærogatiuis præstare coram Deo non solum sapientia & prudentia cir- ca res diuinas & humanas, verum etiam circa omnes vir- tutes morales, & curam diuinorum præceptorum, tan- quam irreprehensibilem operarium celebrari. Neque iu- stum duximus, talem virum otiosum & inutilem permanere, sed in altum in vestra ecclesia iterum elatum, & lu- centem consueta sibi & Deo dilecta opera exercere, tum erga sacerdotes, tum etiam erga episcopos. Quapropter eumdem resumentes sermonem, vobis dicimus: Suscipi- te virum istum absque vlla dubitatione.

Nec † aliquis pro sui excusatione adducat iniustas Syno- dos aduersus ipsum habitas, neque, vt multi stupidiores opinantur, decreta prædecessorum nostrorum beatorum pontificum, Nicolai videlicet & Hadriani aduersus Pho- tium lata accuset: non enim recepta fuerunt ab ipsis qua contra sanctissimum Photium gesta fuerunt. Nullus per chirographa vestra occasionem sumat ad schismata fouen- da cum illo & adinuicem: omnia enim iam sedata sunt, & abrogata, omnia quæ contra Photium gesta sunt, irrita, & nulla per nos minimos in manibus principis apostolorum reposita sunt, & per eum in humeros Iesu Christi agni Dei qui tollit peccata mundi.

Recipite † igitur ipsum apertis vlnis, fratrem videlicet nostrum comministrum. Recipite episcopum & Dei & irreprehensibilem. Recipite patriarcham vestræ ecclesie. Confirmate erga illum dilectionem, fidem, & cum ob- seruantia obedientiam, & per hunc erga sanctam Roma- nam ecclesiam eandem confirmate. Qui enim illum non

*Concil. Tom. 24.*

Ff

† Addita-  
mentum  
item est im-  
postoris ro-  
tam quod  
sequitur.

† Sunt ista  
Photii ad-  
ditamenta  
contra Syn-  
odos in  
ipsum cele-  
bratas.

† Eiusdem  
falsarii sunt  
hæc verba  
supposita.

recipit, nec ea quæ a nobis & sancta Romanorum ecclesia de illo decreta sunt, recipit; nec is aduersus nos bellum suscipit, sed aduersus sanctum Petrum apostolum, vel potius aduersus Christum ipsum Filium Dei, qui ita honorauit & glorificauit apostolum suum, vt ipse ab eo haberet facultatem ligandi atque soluendi.

† Adiunxit  
& omnia  
ista quæ sub  
hoc capite  
continen-  
tur ad secu-  
ritatem sui  
patriarcha-  
tus falsita-  
tis archite-  
ctus Pho-  
tius.

Hoc † etiam rogamus pietatem vestram, vt in memoriam reuocetis, ex quo tempore scandala & schismata in vestram ecclesiam ingressa sunt, & eam integritatem corruperunt; horum malorum nullam aliam fuisse causam, nisi quod vos imperatores admisistis blasphemias & calumnias aduersus pontifices & patriarchas vestros, ac reliquos Dei sacerdotes; nec non quod vos paruipendistis dilectionem & fidem & honorem & obseruantiam erga illos. Rogamus itaque diuinam potentiam vestram, vt exnunc aures obturetis imperii vestri a Deo electi calumniis & obrectationibus aduersus pontifices, quas prauis illi homines & malis solum gaudentes, vobis suggerere solent; & eos tamquam piacula & abominationes, iniquas verborum illorum sagittas repellere velit, patriarchas autem vestros in honore habere, & quasi proprios patres existimare, & tamquam Dei & hominum mediatores venerari. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris, & quæ pro salute vestra faciunt, vobis a Deo semper deprecantur; nec non, vt par est, pro iis, quibus vos Deum offendistis errantes, sacrificia ipsi offerunt, vt vobis Deum placent, beneuolum illum vobis reddentes. Neque id solum, verum etiam pro tranquillitate & duratione potentia vestra, & pro victoria aduersus hostes obtinenda Deum nostrum misericordem orant. Doctores etiam & magistri vobis existunt, dum vos admonent, vt ea faciatis, quibus regnum cælorum acquiratis.

Præterea vos præ aliis diligere noscuntur; non enim adulatorum amicitiam sectari sciunt vobiscum, & adulatorum instar vos diligere, sed potius caritatem, quam ipsos docuit Christus Iesus per sanctos apostolos suos. Non oportet igitur vestros patriarchas a vobis contemni, tum propter ea omnia quæ prædiximus, tum etiam, vt iuxta Domini præceptum illos diligatis. Nec vos lateat, quod si hoc feceritis, non solum honores illorum consequemini, quos vos honoratis & colitis, sed illum potius qui eorū manibus

in altari ministratur, videlicet Christum, qui pro peccatis omnium Deo offertur: qui enim illos honorat, Deum honorat; & qui illos auerſatur & respuit, Deum ipsum respuit. Falsas itaque detractiones & obtrecciones, per quas zizania & schismata & scandala in ecclesia Dei oriuntur, & diuidunt inconsutilem Christi vestem, tamquam venenum aspidum, vestrum imperium vitet; & potius sanctissimo Photio fratri & comministro nostro opem ferat in omnibus quæ ad ecclesiæ bonum regimen faciunt.

Eos † etiam qui ipsum non quo par est, honore habent, argue, vt corrigantur; sæpe enim quos Dei timor, & erga diuina religio & pieras non correxerit; imperatorum & principum indignatio in eos irruens modestiores reddit. Idque si feceris, regnum tibi cælorum comparare certo scito, & sempiternam imperii tui durationem, & pacis confirmationem. Si vero id minus feceritis, pro certo habeatis, quod nunquam schismata deerunt in ecclesia Constantinopolitana.

† Conſuit & ista Photius sui causa.

De † hoc etiam legem condere, tuum imperium a Deo custoditum monemus, vt post obitum sanctissimi Photii comministri & fratris nostri nullus e sæculari ordine ad pontificalem dignitatem eligatur & ordinetur, sed potius ex presbyteris cardinalibus, ex iis videlicet, qui catholica ecclesiæ sunt adscripti, vel ex eius diaconis, vel aliis sacerdotibus, qui existunt sub sede Constantinopolitana, iuxta sacros Canones, vt ne contra ecclesiasticam regulam & sanctorum patrum Canones res vestræ peragantur. Procedere autem hunc volumus per singulos gradus ecclesiæ satis probatum, † primum lectorem, deinde acolytum, postea diaconum, deinde presbyterum, & tandem episcopum, si tamen bonum habuerit testimonium de se, de pietate, & scientia; quoniam dum in inferioribus gradibus aliquod temporis spatium immoratur, eius virtus & probitas agnoscitur, & hoc pacto oportet vestros patriarchas progredi, non ex tempore præoccupare singulos gradus, vt in domo Domini nihil inueniatur incompositum & inordinatum. Qui enim supra omnes gradus collocatur, reprehensibilis in omnibus oportet reperiatur.

† Sunt ex Ioannis epistola, licet habeat aliqua verba a Photio addita, vt illud: Post obitum sanctissimi Photii, &c.

† Cum prætermissos audis ostium & exorcistam a Latinis omnibus inter primos quatuor ordines annumeratos, scias a Grecis corruptum locum.

Nec † quia nos vestræ ecclesiæ paci & quieti consulentes, Photium religiosissimum fratrem nostrum recepimus,

† Sunt addita ista a Photio

Concil. Tom. 24.

Ff ij

quæ hoc  
capite con-  
tinentur.

sicut & papa Hadrianus Tarasium eius auunculum, hoc iam vobis pro consuetudine & regula vsurpetur: quæ enim raro bona sunt non possunt lex fieri multis, & pro lege sumi. A Domino enim nostro Iesu Christo edocti, etiam nos viscera misericordiæ recipientes, condonauimus vobis petitionem vestram tum de Photio, tum de aliis sacerdotibus ex altera ordinatione existentibus indultum concessimus. Quicumque vero in futurum ausus fuerit id iterum committere, pœnitentia ex Canone a nobis absque vlla remissione, & damnatio illi irrogabitur.

† Sunt  
Ioannis,  
sed non-  
nulla mi-  
scuit Pho-  
tius.

† Rogamus etiam hoc pietatem vestram, vt neque frater & comminister noster Photius sanctissimus, nec alius quispiam successorum eius in futurum in Bulgaria ordinationes habeat, neque propriis manibus, neque per pallium illuc missum, neque per defensorem prædictam prouinciam Bulgarorum vt propriam ministret. In alieno enim solo non decet alios adificare. Prædecessor enim noster Nicolaus felicitatis recordationis precibus principis Bulgariae Michaelis apostolicis doctrinis gentem illam eduxit, & per religiosos suos episcopos omnes ecclesiasticas regulas & Canones, & quæcumque ad Christianam religionem pertinent cum illis tradidisset, eos perfecit: licet nonnulli audacter surripuerint nobis prædictam prouinciam, quæ ad eos non attinebat; ordinationes etiam & consecrationes ecclesiarum, & omnia quæcumque facere minus oportebat, peregerint. Quapropter præter prædicta, & hoc etiam vobis notum facimus, vt, si aliquando episcopos ibi degentes contra nos aliquid delinquere deprehendemus, & canonicis pœnis illos subiiciemus, non habeant vos ad quos confugiant, sed potius vos inueniant in hoc nobis concordēs, nec dissentientes.

† Deleuit  
impostor  
vocem,  
*Mandamus,*  
& nomen  
Ignatii, &  
posuit *Ora-*  
*mus, &c.*

† Oramus præterea imperium vestrum Christo dilectum, vt congregetis episcopos & presbyteros cuiuscumque ordinis ecclesiastici & ciuilibus qui a nobis dissentire videntur, vbicumque fuerint intra terminos vestros, eosque ad vos ducendos curetis, & moneatis, vt ipsi vniantur ecclesie Dei, & Photio sanctissimo patriarchæ fratri & comministro nostro nobis vnito. Proprias pontificales & sacras vestes; gradus etiam illis restituite, & viscera misericordiæ illis aperite: vt quemadmodum vnus Deus, vnum

baptisma, vna fides, ita & nos ipsi vnum simus etiam in Christo, & per vestram piam doctrinam vnum pariter nobiscum sint, & in ecclesiæ Dei perfectione coordinati & coniuncti nobiscum in Christi sanctissimum corpus, vt in eadem mente & in eadem voluntate permanentes, Deum omnium glorificemus. Nec aliquis in posterum dicat: *Ego quidem sum Cephæ, ego vero Pauli*; sed vt omnes hoc <sup>1. Cor. 1.</sup> dicamus, quod Christi sumus crucifixi & mortui pro nobis, qui per suam passionem quæ in terris sunt, & quæ in cælis, inuicem conciliauit; & nos Deo coniunxit & Patri per seipsum, & mutua dilectione & communionem. Si vero a vobis eos aduocatos monentes & hortantes & orantes, ad vnionem ecclesiæ conuenire vobiscum semel & iterum & sapius obedire illi noluerint, neque nostris literis obtemperare & suammet lucrari salutem, sed in priori sua pertinacia & temeritate permanserint: istiusmodi homines præcipimus ab immaculati corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi perceptione alienos fore, quousque vniantur sanctæ Dei ecclesiæ & Photio sanctissimo patriarchæ fratri & comministro nostro. Et postea: Hoc peracto quæ sequuntur iustam illorum damnationem, in his literis non scripsimus, ne amplius prorogaretur oratio præter modum, sed in commonitorio conscripsimus religiosissimi Petri presbyteri & cardinalis nostri legati, vna cum Eugenio & Paulo religiosissimis episcopis, vt cum ipsis præsidentem in Synodo vna cum sanctissimo Photio fratre & comministro nostro, Dei oculum qui omnia videt, & semper vigilat, ante suos oculos habentes, & ineuitabilem diuinam iustitiam, & suam conscientiam immaculatam & inculpatam conseruantes, omnes res Constantinopolitanæ ecclesiæ, & quæcumque indigent correctione, & quæ, vt par est, declinare debent, vt id quod melius est, & conducibilis Dei ecclesiæ peragatur. Cælestis imperator piam potentiam tuam custodiat.

Hucusque ex Photiana versione Ioannis papæ epistola. Cur autem in titulo Ioannis epistolæ non insit Constantini nomen, id accidit, quod, sicut ex Niceta dictum est, mortuus inter hæc fuerit Constantinus ipse Augustus primogenitus Basilii imperatoris.

Vidisti imposturas, lector, veritatis amator & cultor, & execratus es procul dubio, quas in profano etiam homine, nedum sacerdote, episcopo & patriarcha, sed & in ethnico, omnisque diuinæ &



humanæ legis experte barbaro non improbare non possis; totque falsitates admixtas literis non priuati alicuius & ignoti hominis, sed ab apostolica sede ex episcoporum Concilio datis; nec ad vilem aliquem terræ filium, sed ad ipsum orientis imperatorem, nec otiose velleuiter de rebus nullius momenti conscriptis, sed quæ maximi omnium ponderis essent; vt merito tanti auctorem sceleris improbare, & execrari, ipsumque facinus abominari, atque horrere tamquam funestum aliquid ab imis inferis proditum a principe tenebrarum per filium tenebrarum nomine tenus lucis angelum mentientem Photium, omnino debeas.

## EPISTOLA CC.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CLERICOS CONSTANTINOPOLITANOS.

Eiusdem argumenti.

*Reuerendissimis & sanctissimis omnibus episcopis, & confratribus  
ecclesiæ Constantinopolitanæ sedem respicientibus,  
seu tribus aliis principalibus ecclesiis  
Hierosolymitanæ.*

QVORVMDAM sane vestrum fratres carissimi scripta suscipientes, vnanimitatem, atque consensum in parte Photii in eis plene reperimus, indeque obnixè optantes, vt quod particulariter hæctenus, hoc canonicè semper, & generaliter, atque secundum ea, quæ sunt Christi Iesu, & non quæ vestra, pia animi deuotione, id ipsum, vt non sit in vobis schisma, sapiatis quarere, pulsare, & inuenire; nos autem moderatione sedis apostolicæ, si cut diuisa contentione, atque dolemus scissâ errore, ita gaudemus in vinculo pacis, ac caritatis compagine soliditatis fraternitatem vestram sine intermissione inuiolate persistere, iuxta

1. Cor. 13. Apostolû, idem sapiate, & Deus pacis erit vobiscum. Quod vero sollicita intentione vestra petit dilectio, vt auctoritate beati apostoli principis apostolorum Petri, vobis Photium patriarcham in regia vrbe Constantinopolitana fore consentiamus, illud animo luce clarius retinetis, quod in

Luc. 22. euangelio primo pastori Dominus ait: *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* His hortatibus succensi, imo potius corroborati, in quantum sine graui offensione valemus auxilium ferre, tam cunctis Domini sacerdotibus, quam vniuerso in